IX. *Observatio de Succinea Gleba, Plantæ cujusdam folio imprægnata, rariſſima.* *Auctore* Dno. Johanne Philippo Breynio, *M. D. R.S.S.*

INter Corpora Naturalia Succinis à Natura incluſa, illa longe rariſſima eſſe, quæ Vegetabili Regno ſuam debent originem, confitebitur mecum, opinor, quicunque Naturæ Curioſorum Pinacothecas, inque iis Succineas Gazas, non levem ipſis conciliantes ſplendorem, accuratius inſpexerit, Authoreſque de his rebus tractantes diligentius excuſſerit. Hæc inter autem cæteris Plantarum perfectiorum partes, ut folia, ſeminum receptacula, flores, ſi qui inveniuntur, &c. raritatis palmam præripiunt.

Hujus rei ratio procul dubio eſt, quod ex recentiorum mente, Succinorum officina naturalis, loca ſint ſubterranea, quorſum partes Vegetabilium, utpote terræ ſuperficiem inhabitantium, ægre et non niſi caſu, eoque rariſſimo pertingere poſſunt; cum Inſecta, quamvis etiam in aere viventia, tamen, ut ſe à frigore, aliiſque aeris injuriis defendant, vel alia etiam de cauſa, ſponte ſæpius rimas, hiatus et cryptas quærant et ſubeant ſubterraneas, & ad ſepulchrum properent, ubi à Succino adhuc liquido irretiuntur, involvuntur, ſuffocantur, cumque eodem in ævum duratura rigeſcunt.

Ejuſmodi glebam, quæ folium hujus notæ in ſinu ſuo fovebat, nuper Menſe Octobri præterito mihi exhibuit & examini ſubjecit meo hic *Gedani* Mercator quidam natione *Britannus*, *Philippus Benlows*, qui eandem,

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775)*. www.jstor.org

dem, inter alia Succina nactus, maximi, imo pluris quam triginta aureorum æſtimabat.

Hæc ovalis ferme, ſed compreſſæ erat figuræ, & magnitudinis, quæ in Icone Fig. 11. adjuncta exprimitur, quartam Unciæ partem craſſitie æquans, illius generis, quod ſalernum, à ſimilitudine vini, ſalutatur Succinum, & quidem ſatis perſpicua & pura, neque vel leviſſima fraudis macula conſpurcata. Includebat per totam ejus mediam longitudinem exporrectum Folium aliquod Botanicis pennatum, quibuſdam etiam alatum, quamvis minus recte, dictum; quod eleganti ſane ſpectaculo, obſcurum quidem, ſed aureo colore coruſcans, à reflectione & refractione radiorum luminis, oculis ſpectantium clare ſeſe offerebat. Folium hoc non integrum, ſed utraque extremitate mutilatum erat, ut ipſa indicat figura, quinque conſtans foliolorum oblongorum, utrinque non nihil acuminatorum paribus ſ. conjugationibus, quorum quædam erant ex parte exeſa et mutila, in coſta communi æque fere à ſe invicem diſtantibus. Situm erat in plano horizontali, quod in eo foliorum genere familiare eſt, præterquam, quod foliola obliquitate aliquantulum ab eo deflecterent; nequaquam vero conjugationes foliolorum decuſſatim poſitæ vel ullo modo videbantur, quod in foliis, quæ conjugata Botanicis dicuntur, ſemper obtinet; ut adeo folium hoc ex compoſitorum pennatorum genere eſſe, nullum mihi amplius reſtet dubium. Cujus autem exacte Plantæ ſpeciei ſit determinare vix licet; quia multæ ſpecies hujus familiæ, foliis veſtiuntur ſibi adeo ſimilibus, ut etiamſi recentia, difficile ſit à ſe invicem diſtinguere; accedit, quod nec venulæ foliolorum, vel oculis Microſcopio armatis appareant, utpote quæ à Succino olim liquido obliteratæ & quaſi incruſtatæ erant. Quam proxime autem accedit ad Securidacæ ſecundæ, *Cluſii*, ſ. Coronillæ

nillæ herbaceæ, &c. *Tournefortii*, quæ in dumetis *Pruſſiæ* ſatis familiaris eſt. Ab altera parte, inter bina foliola, aranea ſatis clare conſpicitur; ab altera vero parvula muſca, ſed hæc non niſi oculo lente armato.

Non memini me apud ullum Authorem folii hujuſmodi in Succino pennati inveniſſe mentionem, præterquam apud *Michaelem Mercatum* in nobili iſto opere Metallothecæ Vaticanæ titulo inſcripto, & immortalibus Archiatri Pontificii *Johannis Mariæ Lanciſii* meritis a ſitu, oblivione & interitu liberato. Ubi, pag. 89. inter alias elegantium glebarum Ranam, Piſciculum, Lacertulam variaque Inſecta continentium Icones, una etiam reperitur, quæ folium ejuſmodi pennatum paulo minus, ſed ob integritatem rarius & elegantius, octo conjugationum, foliolo extremo impari coſtam claudente, includit; quod parvum & tenellum Coronillæ herbaceæ, flore vario, *Tournefortii*, folium egregie exprimit, quamvis etiam non male ad Onobrychidem ſecundam, *Cluſii*, quæ pariter *Pruſſiæ* indigena eſt, referri poſſet.

Idem *Mercatus* aliam ibidem delineat glebam parvo in tenuia ſegmenta diſſecto folio, plantæ cujuſdam, forte umbelliferæ, imprægnatam.

Interim tamen cum glebas memoratas, in laudato *Mercati* libro ſaltem, ſummo licet ſtudio delineatas, non vero ipſas viderim, præterea figuræ Ranæ majoris, Lacertulæ & Piſciculi, non levem mihi artificioſæ fraudis excitent ſuſpicionem, ego equidem pro genuitate earum vadium in me ſuſcipere nollem; quia notum eſt affatim, Artifices, ejuſmodi res adeo artificioſe Succinis poſſe includere, iiſque non nimium Curioſis imponere, ut non niſi ab expertiſſimis & oculatiſſimis poſſit detegi fucus.

Fig 1



Fig. 2